

3013

LITURGICI.

3014

Quae e *Psalmo* mutuatus est Noster, aliter expressa sunt in *Notkeri Labeonis Psalterio* apud *Schilterum Tbes. Antiqq. Teut.* T. I. p. 246. cujus *Glossarium* ex hoc *Cantico* quibusdam vocibus augeri possit.

DCCCXXIX.

412 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 8. 4. nitide scriptus, rubricisque distinctus continet *Sequentias* sive Melodias olim in *Missa* solemnibus longe frequentius, quam hodie, ante *Evangelium* cantari solitas, quarum *Origo* ad *Adrianum* II. Pont. Rom. refertur; unde etiam a secunda manu *Sequentionarius* inscribitur. *Sequentiae* singulae ad marginem exteriorum *Notis* suis *Muscis* instructae sunt. Earum titulos et initia dedit *Lambecius* T. II. p. 784. sed non omnium. Residuas itaque hic adscribam. Omissa primum ab eo *Feria V.* Paschatis. *Carmen suo dilecto ecclesia christi canat ob quam patrem matremque deserens* &c. Dein de uno *Martyre*, quem *Titulum* transcribo e *Cod. San — Gallensi* citato a *Celf. Gerberto* T. I. de *Cantu et Musc.* *Jacra* L. II. P. 1. c. 4. p. 415. *Quid tu uirgo mater plorans rabel formosa. Cuius uultus iacob delebat* &c. Demum omissa *Sequentia* pariter absque titulo, sed quae incipit: *O qui Celorum continet regna. Dolentem qui consolatio comprobatis unica. Umbrosae qui fles iberusalem ruitura menia* &c. quamque inter citatas e *Cod.*

San — gallensi non inuenio, pertinere tamen e contextu arbitror ad *Evangelium Lucae* C. XIX. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem* &c. atque adeo ad *Dom. IX. post Pentec.* Post haec stetit ille in *Sequentia Sancte Marie Magdalenae.* Superfunt vero in *Codice Sequentiae: In Ascensa Domini. Captiua. Initium: Summi triumphum regis prosequamur laude. Qui celi qui terre regit sceptrum* &c. *In Sancto Die Pentecostes. Occidentana. Initium: Sancti spiritus affit nobis gratia. Quae corda nostra sibi faciat habitaculum* &c. *Initium hujus Sequentiae Librarii veteres Scriptis suis passim adponebant. In Natali Sancti Iohannis Baptiste. Initium: Sancti baptiste christi preconis sollempnia celebrantes moribus ipsum sequamur* &c. *In Natali. S. Apostolorum Petri et Pauli. Concordia. Initium: Petre summe christi pastor et paulle gentium doctor* &c. *In Natali S. Laurentii Martiris. Romana. Initium: Laurenti dauid magni martyr milesque fortis. Tu imperatoris tribunal* &c. *In Assumptione Sanctae Mariae. Mater. Initium: Congaudent angelorum chori gloriose uirgini. Quae sine uirili commixtione genuit* &c. *In Natiuitate Sanctae Mariae. Initium: Stirpe maria regia Procreata regem generans Ihesum* &c. *De Sancto Michabele. Greca. Initium: Magnum te michaelem habentem pignus Ciuium nostrorum* &c. *Ordinem anni sacri in his Sequentiis non esse obseruatum quibus animadvertit. Culpa tamen non Librarii*

3015

C O D I C E S

3016

rarii sed Compactoris est, qui membranas perturbavit. Itaque finis *Sequentiae*, quam ultimam recensui, fol. 4. p. 1. quaerendus est. Omnes porro hic contentas *Sequentias*, exceptis de *Jobanne Evang.* de *Circumcisione*, de *Purificatione*, et de *M. Magdalena*, habent etiam *Codices* a Celf. *Gerberto* loco *suprac.* adducti, ubi de toto hoc *ἱερομυσικῆς* genere erudita, ut solet, ubertate pertractat. Autor earum *Notkerus* dictus *Balbulus S. Galli* Monachus, defunctus an. 912. In ejus tamen *Collectione* a Cl. *Pezio* T. I. *Tbes. Anecd.* col. 18. vulgatā nostras *Feriae* III. V. et *Octavae Paschatis*, item *Septuagesimae* et de *M. Magdalena* non inuenio. Voces illae Titulis additae: *Ypodiaconica* vel *Ypodiaconissa*, *Romana*, *Frigdola*, *Aurea*, *Vox Exultationis* modulationis tonos diversos indicant. Ad de iis *Ducangium* v. *Frigdora*, ubi adducitur *Lambecius* *supracit.* Sed nempe addi debent: *Captiva*, *Occidentana*, *Concordia*, *Mater* et *Greca*, quas hic omisit.

DCCCXXX.

685 Codex membraneus lat. Sec. X. Fol. 227. 4. non ab una manu, luculente tamen potissimum

exaratus et rubricis distinctus, *Liturgicus* est, complectiturque sequentia: I. Formulas quatuor oblationis, quarum prima: *Tibi domino creatori meo offero hostiam placationis pro delicto meo. peto domine ut des mihi ueniam omnium peccatorum.* Hymnum Angelicum, Symbolum Apost. Trifagion et *Agnus Dei* graece, sed literis latinis, ita: *Doxa en ipsistis theokepigis ireni enantropis &c.* Orationes et Lectiones *In Sabbato Sancto Paschae*, verum indicatis tantum initiis, Hymnum graecolatinum, cujus initium: *Kyrie otheos critis dicheos yskiros keatbanatos ymas eleyson kirie eleyson. O pater alme sedens super alas cberubim ac seraphim &c.* Ita deinceps ad Filium et Spiritum S. intercalari semper *kyrie eleyson*, Hymnum angelicum latine, *Item In Angelicum Carmen* Intercalaria quaedam. Atque haec omnia notis musicis insignita. De ejusmodi Doxologiis, Hymnisque triumphalibus agit Celf. *Gerbertus* L. I. de *Cantu et Musica* S. c. 1. et 2. item L. II. P. I. c. 4. et alibi, nostro etiam hoc Codice usus. Fol. 4. p. 2. sequuntur Verficuli de X. *Plagis Aegypti*, quae in titulo *Duodecim* inscribuntur, hoc initio:

Prima plaga egypti limphas in sanguine uertit &c.

et de *Septem Diebus In Quibus Cuncta Creatura sunt*, hoc initio:

Primus in orbe dies lucis primordia sumpsit &c.

Et